DE VOCIS AREMORICÆ

Usque ad sextum post Christum natum sæculum forma atque significatione

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

J. LOTH

In schola dicta Ecole pratique des Hautes-Etudes
alumnus diplomatus.

REDONIBUS,

EXCUDEBANT BARAISE ET C^ie^, IN FORO SANCTI MICHAELIS, 7.

—

MDCCCLXXXIII.

THESIS LATINA.

AMICO

AREMORICO BRITTONI

Lud. Bourgine

BRITTO AREMORICUS

J. LOTH.

DE VOCIS AREMORICÆ

Usque ad sextum post Christum natum sæculum forma atque significatione

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

J. LOTH

In schola dicta Ecole pratique des Hautes-Etudes
alumnus diplomatus.

REDONIBUS,

EXCUDEBANT BARAISE ET C^ie, IN FORO SANCTI MICHAELIS, 7.

—

MDCCCLXXXIII.

CAPUT PRIMUM.

De vocis *aremoricæ* usque ad sextum post Christum natum sæculum forma.

Vox *armorica* primum apud Cæsarem apparet. Omnes autem Commentariorum de bello gallico codices manuscripti, ne uno quidem excepto, formam *armoricam* præbent. Neque tamen dubium est quin *aremoricus, aremorica, aremoricum* sit restituendum et omnes codicum Cæsarianorum de bello gallico scribæ, cum *armoricam* scriberent, formam illius vocis recentiorem secuti sint. Quod cum latinorum scriptorum, Gallorum præsertim, usque ad quinti post Christum natum sæculi finem scribendi consuetudine, si Eutropium quarto, Notitiam dignitatum imperii quinto sæculo exceperis, tum celtica etymologia constat.

§ 1. — Primo post Christum sæculo forma *aremorica* apud Plinium invenitur (1). Quarto sæculo bis apud Ausonium legitur (2). Quinto sæculo apud Gallos adhuc in usu est (3). Forma autem *armorica,* littera *e* omissa, jam quarto sæculo apud Eutropium (4) animadvertitur.

(1) Plinii secundi historiarum mundi, lib. IV, c. XVII, 31, édit. Sillig. Hamburgi, 1851, t. I.

(2) Ausonii Epistol. IX, 35; Professor. X, 24, édit. Jacob-Tollius. Amstelodami, 1671.

(3) Sidonii Apollinaris carmen VII, v. 247, 369, 548, édit. Sirmond (opera Jacob Sirmundi. Parisiis, 1614, t. I). — Rutilii Numatiani Itinerarium, lib. I, v. 213, édit. Collombet. Paris, 1842.

(4) Eutropii Breviarium, lib. IX, c. 21, éd. Dietsch. Lipsiæ, 1875.

Quam scribendi consuetudinem, initio quinti sæculi, usurpavit quoque Notitia dignitatum imperii. Sexto autem sæculo nusquam forma *aremorica* apparet, *armorica* tantum in usu est : Zosim. hist. (1) : Καὶ ὁ Ἀρμόριχος ἅπας καὶ ἕτεραι Γαλατῶν ἐπαρχίαι ; Oros. hist. (2) : inde Fabius in Carnutes profectus est : sciebat enim Dumnacum ducem antiquissimum rebellionis totius incensorem ab hoc bello elapsum, si *armoricis* gentibus adjunctus esset, maximos iterum in Gallia tumultus esse moturum ; Venant. Fortun. (3) :

> Ultima quamvis sit regio armoricus in orbe,
> Felicis meritis cernitur esse prior ;

Procop. (4) : ἐτύγχανον δὲ Ἀρβόρυχοι τότε Ῥωμαίων στρατιῶται γεγενημένοι. Forma Ἀρβόρυχοι pro ἀρμόριχοι scribarum errori imputanda est. Cave enim ne credas consonam *m* vocis *armoricæ* in *v*, tempore Procopii, fuisse mutatam : quod non ante undecimum sæculum post liquidam aut inter vocales, in britannicis dialectis, fieri cœptum est. Aspirata autem χ pro *c* vi analogiæ attribuenda est : etenim, sexto septimoque sæculo, invaluerat apud græcos scriptores usus sonum *k* nominum gothicorum sæpissime in — *reiks* desinentium per aspiratam χ græce exprimendi : verb. grat. Ἀλλάριχος (Procop. de bello Vandal., lib. I, cap. 2) ; Θευδέριχος (Procop. de bello goth., lib. I, cap. 1). Nemo mirabitur quod celti-

(1) Zosimi Historiæ, lib. VI, c. 5, édit. Reitemeier. Lipsiæ, 1784.

(2) Orosii historiar., lib. VI, c. 11, édit. Havercamp. Lugduni Batavorum, 1738.

(3) Ven. Fortun. Carm., lib. III, c. 8, v. 3, éd. Luchi. Romæ, 1786.

(4) Procop. De bello gothico, lib. I, c. 12 (Corpus scriptorum historiæ byzantinæ Romæ, 1833, t. II, p. 63).

cum nomen ἀρμόρικον eamdem fere terminationem præ se ferens quam numerosissima illa gothica nomina, eodem modo, vi consuetudinis adducti, eadem ætate scribere assueverint.

Ut autem dijudicetur quænam forma usque ad quintum sæculum sit præferenda, *aremorica* ne an *armorica,* sufficiat animadvertere scriptores qui quarto et quinto sæculo forma *aremorica* usi sint, nempe Ausonium, Rutilium Numatianum, Sidonium Apollinarem, Gallos genere fuisse, neque ullo modo formam *aremoricam* ementiri potuisse quæ ab epico versu omnino abhorreat, cum contra *armorica* ad eum nata videatur. Quod adeo verum est ut *e* præfixi *are* producere coacti sint, quam vocalem celticarum linguarum testimonio brevem esse certum est : Auson. Epist. IX, v. 30 :

Sunt et aremorici qui laudent ostrea ponti ;
Sidon. Apoll. VII, 247 : subacto
Celsus aremorico ;
Ibid., v. 369 :
Quin et aremoricus piratam saxona tractus
Sperabat ;
Ibid., v. 548 : quis nostrum belgica rura,
Litus aremorici, Geticas quis moverit iras
Non latet.

§ 2. — Etiamsi vera vocis *aremoricæ* forma Plinii et Gallorum, quorum locos supra laudavimus, consensu nobis nota non esset, celtica ejus compositione et interpretatione proderetur.

Celtice enim *aremoricus* idem valet atque latine *maritimus.*

Quod Cæsaris loquendi consuetudine, primis commentariorum de bello gallico libris, tertio præsertim, erui potest, cum *maritimos* eos populos appellet quos quinto et septimo libro *armoricos* sit appellaturus.

Aremoricum eodem modo, pluribus locis recentiores scriptores interpretantur : Itiner. Hieros. Itiner. Anton., éd. Wesseling, p. 617 (Fragm. de V. S. Galli) : « *Aremorici* ante mare; *are* ante, *mare* dicunt *mare*, et ideo Morini marini; » cf. « *armor* ad mare vel supra mare. » Mabill. aa. ss. ord. S. Bened. sæcul. II, p. 60; cf. ibid. sæcul. III, p. 439; « Nannetensi civitate, in qua hæc nunc scribimus mense octobri MDLXIII, quam antiqui armoricam (hæc vox illorum lingua *juxta mare sonat)* dicebant. Pr. Sanctacrucius ap. Dufresne (1). » Aremoricus quoque a Strabone παρωκεανίτης redditur (2). Inde necessario sequitur non præfixo *ar*, sed *are*, vocem *aremoricam* fuisse compositam (3).

Etenim duo suffixa *are* et *ar* antiquitus apud Celtas in usu fuerunt, origine et sensu discrepantia : illud vocali terminatum erat, hoc consona ; *are* sensu *juxta, prope, ad, ar* sensu *intensivo,* sensu præpositionis latinæ *per,* adhibebant ; *are* separari poterat, *ar* nunquam nisi in compositione apparebat. Cum autem *are* vocalem finalem perdiderit, illa præfixa ægre hodie

(1) Diefenbach. Origines europææ. Francfurt-am-Main, 1861, p. 231.

(2) Strabon. Geographia, lib. IV, c. 4.

(3) F. Glück. Die bei Julius Cæsar vorcommenden Keltischen namen München, 1857, p. 31-36; Zeuss. Grammat. celtica, 2a ed. Berolini, 1871, in-fol., 5, 13, 806, 866. Diefenbach. Origin. europææ, p. 231-233.

forma discerni possunt. Demonstrari tamen potest hodiernum præfixum *ar, er,* sensu *ad, juxta, prope,* adhibitum, ad formam primitivam *are* esse reducendum, *ar* autem intensivum nullam vocalem perdidisse.

Apud Hibernos præfixi illius sensum *ad* secum trahentis usitatissima forma est *air, er,* quæ nos ad vetustiorem formam *ari* aut *are* reducit. Apud Hibernos enim, cum veteres tum recentiores vocales syllabarum vicinarum mutuam inter se attractionem, aut, ut loquitur Zeuss, infectionem exercent. Quæ infectio tum præsertim locum habet, cum syllabam quamlibet vocalis *i* vel *e* ex *i* orta sequitur. In scriptura autem illa infectio quæ vocali *i* exercetur, tum semper fere exprimitur, cum *i* vel *e* finalis evanuit (1) : ex. vocativ. *mic* = *maque (fili) ; *faith* (vates) = *vati ; *muir* = *mori, etc.

Alia etiam via agnosci potest *air, er* vocalem perdidisse. Apud Hibernos enim, consona vocem aut syllabam inchoans, aspirationem patitur, quoties vocis aut syllabæ præcedentis forma vetustior vocali terminata fuit (2). *Air, er* autem consonæ sequenti aspirationem affert (3), ex. grat. : *airchinnech* princeps ; vox *chinnech* e verbo *cenn,* britannice *penn* (caput), derivata est; *c* autem *ch* facta est quod *air* pro *are* est. Apud Britannos contra, consona tenuis extra positionem, id est,

(1) Windisch. Kurzgefasste irische grammatik. Leipzig, 1879, in-8o, p. 4-5 ;

Zeuss. Grammatica celtica, 2a edit., p. 4 et seq.

(2) Zeuss. Gramm. celtica, p. 177 et seq. Windisch. Irische grammat., p. 23.

(3) Zeuss. Gramm. celt., p. 80 ; Windisch., p. 80.

inter duas vocales, attenuatur : loco *airchinnech*, cambrice habes *arbennic* (1) = *arepennicos. Quod si *ar* cambrica vocalem non perdidisset, haberemus *arfennic*, quod Brittones post liquidam *r* aut *l* consonas tenues aspirant.

Accuratissime ergo præfixum *are* a particula *ar, er*, distinguendum est, quæ apud Gadelos et Brittones sensum intensivum habet et quam Zeuss in nomine silvæ Hercyniæ apparere contendit (2). Hæc enim particula nunquam vocali terminata fuit : affert consonæ tenui sequenti, in recentiore lingua cambrica, aspirationem ; at, si vocalem finalem amisisset, non aspirationem sed attenuationem aut, ut loquitur Zeuss, destitutionem esset passa sequens tenuis consona : v. grat. non *erchynnu* sed *ergynnu*, attollere (compositum verbo *cynnu* et præfixo *er*), Cambri hodie dicerent, si vocis illius præfixum *are* pars prima fuisset ; extra positionem enim, id est, inter duas vocales, etsi una vocalium evanuit, consona tenuis non aspirationi sed destitutioni obnoxia est (3).

Sæpissime *are* præpositionis partes habet. Cum dativo constructa, apud Hibernos, præpositionum latinarum *supra* et *pro* sensu adhibetur ; cum accusativo autem, plerumque vim præpositionis *propter* accipit (4). Apud Brittones cum præpositione *vor (guor, guar, var, voar* super), quod ad sensum attinet, sæpe confunditur. Exempla quædam vetustiora servatæ propriæ signifi-

(1) Qv apud Brittones in *p* vertitur.

(2) Zeuss. Grammat. celt., p. 46, 92, 860, 895.

(3) Zeuss. Gramm. celt., p. 158, 159, 895.

(4) Zeuss. Grammat. celtic., p. 622, 869.

cationis localis, e libro Landavensi extracta, affert Zeuss (Grammat. celt., p. 669) : *ir ford ar Trodi* (via ad Trodi); *penn ir claud ar Uisc* (caput fossæ ad Iscam).

Jam patet Diefenbach errasse, cum secutus de Belloguet nomen herbæ *armoraciæ* (Pline, Hist. nat., XIX, 26, XX, 12), aut *armoraceæ* (Pall. XI, 11), aut *armoracii* (Colum. XVI, 9), et urbis *Armorii* in Asia minore, a Galatis forte conditæ, iisdem elementis quibus vocem *aremoricam*, fuisse formatum et eumdem fere sensum habuisse contendit (1).

Præfixum *are* in multis gallicis nominibus apparet (vid. Zeuss. Gramm. celt., p. 866), at ejus sensus in his omnibus supponi, non autem demonstrari potest. Evidentissimus autem est in voce *Arecluta*, id est, regione ad flumen Clotam sita, patria sancti Gildæ qui sexto sæculo in Armoricam demigravit; hoc recentissimum exemplum præfixi *are* vocalem finalem servantis, in vita Gildæ, sæculo undecimo scripta, invenitur (2).

Præfixi *are* forma ario-europæana videtur fuisse *pari* germanicæ præpositioni *furi* (vieux-haut-allem.), græce particulæ περί, comparanda (3). *P* autem consona ario-europæana vocem inchoans, ut par erat apud Celtas, evanuit.

Substantivum *mori*, cui *are* in voce *aremorica* præfigitur, apud Hibernos, ut par erat, *muir*, in nominativo, factum est. Neutrum est, ut apud Latinos. Apud Brittones apud quos, in recentiore lingua, nulla certa

(1) Diefenbach. Origines europææ, p. 231-232.

(2) Vita Gild. Boll. aa. ss. Januar., t. II, p. 958.

(3) Curtius-Grundzge der griechischen etymologie, 5a edit., p. 269.

declinationis vestigia supersunt, *mori* factum est *mor*, interdum apud Cornavios aremoricanos *mur* (1).

Substantivum *mori* in quibusdam gallicis nominibus apparere nemo negabit : *Morini* Verg. Ænead. VIII, v. 727, Pompon. Mela III, 27; Cæsar de bello gallico, lib. III, 9. *Moritasgus* (deus) Orell. inscript. 2028; *Moridunum* (oppidum ad mare situm). Itiner. Anton. Anon. Ravenn. V, 30; Μορικάμβη εἴσχυσις Ptol. II, 2; *Morimarusa* (mortuum mare). Plin. Hist. nat. IV, 13, 27.

Suffixum *-ico-* vocis *aremoricæ*, non raro quoque, cum in gallicis, tum in gædelicis aut britannicis nominibus apparet (2).

Quod si vocis *armor* aut *arvor* significationem, apud Brittones, adimus, primum animadvertimus nunquam tractum aut regionem certo limite definitam hac voce significari : locum quemlibet ad mare situm *arvor*, cum apud Cambros, tum apud Brittones aremoricanos, indicat. Eodem modo quo *arvor* composita est vox *Ar-fon* qua, hodie quoque, Cambri litus contra insulam Monam (Anglesey) situm appellant. Apud Brittones

(1) Zeuss. Gramm. celt., p. 13; sic declinatur substantivum *mori*, hibernice, apud Windisch, Irische grammat., p. 33.

Sg. nom. muir, muir n-	Plur. nom. mora
Gen. mora	Genet. more n-
dat. muir	Dat. muirib
accus. muir n-	accus. mora
voc. muir	voc. mora

Dual.
nomin. accus. dà muir (duo maria)
Genet. dà mora
Dat. dib muirib

(2) Zeuss. Gramm. celt., p. 806, 848.

aremoricanos *armorica* aut etiam *armor* nunquam nisi in doctorum libris Britanniam minorem designat. Formæ etiam, ut *armoric* (1), *armory* (2), et hodie *armor*, *Larmor*, non britannicæ, sed usu doctorum consecratæ aut traditæ formæ habendæ sunt. Britannica enim lingua *aremorica* in *arvoric* aut *arvorec* fuisset mutata.

Consona *m* enim, inter duas vocales, aut liquida *r* præcedente, a fine undecimi sæculi in *v* mutatur : sic *Mormannus*, nomen apud Brittones usitatissimum, jam medio undecimo sæculo *Morvan* scribitur (3). Duodecim loca apud Brittones venetenses nomine *armor* designantur ; unus tantum locus britannice scriptum est : *Locmaria ann arvor* (anno post Christum natum millesimo quadringentesimo tricesimo) ; ille vero locus ipse formam *Larmor*, articulo gallico præcedente, paulo post induit et usque ad nostram ætatem servavit (4).

Videntur Brittones majoris et minoris Britanniæ vocis aremoricæ sensum britannice interpretari voluisse, cum minorem Britanniam nomine *Letavia* designarunt. Hæc appellatio in vita multorum sanctorum

(1) Le Catholicon de Jehan Lagadeuc. Dictionnaire breton, français et latin. Tréguier, 1499 ; éd. Le Men.

(2) Vita sanctæ Nonnitæ, poema dramaticum sæculo decimo quinto scriptum (ap. Zeuss. Gramm. celt., p. 111).

(3) Chartularium Rotonense, éd. De Courson. Paris, 1863, in-fol. Morman, p. 2, 8, 42, 104, 223, 225, 112 ; Morvan, 239, 240, 251, 297, 321, 346, 350, 250, etc.

(4) Rosenzweig. Dictionnaire topographique du Morbihan. Paris, 1870, p. 158. Locmaria ann arvor, 1430 (commune de Plœmeur). — Locmaria-Larmor, 1477.

e Britannia oriundorum invenitur (1), et hodie quoque apud Cambros pro aremorica Britannia usurpatur (2). Letavia aut potius Litavia eadem radice qua vox latina *litus*, orta videtur.

Notandum etiam est totum aremoricanum tractum, qualis in Notitia dignitatum imperii definitur, apud Hibernos nomine *Letha*, id est, Letavia, fuisse designatum. Legitur enim in hymno hibernico a sancto Fiaco composito, sanctum Patricium cum sancto Germano in meridiana parte *Latii (in deisciurt Letha)* fuisse (3). At notæ de libro *Armagh* docent nos quæ fuerit meridiana (aut dextralis) illa Letaviæ pars : « Patricius et Iserninus cum Germano fuerunt in Olsiodra (Altissiodero) civitate (4). » Quomodo autem factum sit ut *Letha* poeta hibernicus *Latium* sit interpretatus, ex hoc facile intellegi potest quod in eo verbo inesse radicem e qua derivata est vox hibernica et britannica *litan* (latus, amplus), credidit. Item, apud Brittones, in glossis oxoniensibus *Latio* redditur : *di Litau* (de Latio) (5). Mirandam autem appellationem, Britanniam

(1) Vit. Gild. ap. dom Morice. Mémoires pour servir de preuves à l'hist. de Bret. Paris, 3 vol. in-fol., t. I, p. 188. — Vita Ninnocæ, ibid., p. 181, etc.

(2) Zeuss. Gramm. celt., p. 57, 88, 129, 831.

(3) Goidelica, old and early-middle irish glosses, prose and verse, edited by Whiley Stokes, 2a edit. London, 1872, p. 127.

(4) Ibid., p. 85.

(5) Zeuss. Grammat. celt., 2a ed., p. 1057.

in paludibus (1), qua anonymus Ravennas minorem Britanniam designavit, inde ortam arbitramur quod scriptor ille, Gothus aut potius Longobardus genere, substantivo *mori*, vocis *aremoricæ* parti, germanicum sensum attribuit. *Muor* enim apud quosdam Germaniæ populos (vieux-haut-allemand) *paludes* significat.

(1) Anonym. Ravenn., lib. IV, 39, éd. Parthey et Pinder : « ad Oceanum occidentalem juxta superius dictam Galliam belgicam ponitur patria quæ dicitur Britannia in paludibus : non illam Britanniam dicimus quæ intra magnam Europæ partem ponitur. Quam Britanni et plurimi descripserunt philosophi ex quibus ego legi multotiens dictum *Anaridum* (var. Aithanaridum) et *Eldebaldum*.

CAPUT II.

De vocis *aremoricæ* a Cæsare usque ad sextum post Christum natum sæculum significatione.

Si nulla de celtici illius verbi sensu et compositione dubitatio superesse potest, in magnam contra opinionum diversitatem incurrimus, si ex historicis et geographicis eruere conamur quas regiones quosve populos aremoricus tractus amplexus sit. Illas autem opiniones in tres præcipuas digerere possis :

Prima est opinio eorum qui a Cæsaris ætate usque ad Britannorum migrationem in illam Galliæ partem cui nomen Britanniam imposuerunt, populos tantum inter Ligerim et Sequanam sitos aremoricos fuisse appellatos neque unquam longius aremorici tractus fines extensos fuisse, contenderunt. Hanc sententiam secuti sunt præcipue Valesius (1), d'Anville (2), Ukert (3), et recentius Desjardins (4).

(1) Hadriani Valesii. Notitia Galliarum. Parisiis, 1675, in-fol., p. 43-44, p. 89, 269.

(2) D'Anville. La Notice de l'ancienne Gaule, tirée des Monuments romains, in-4°. Paris, 1760, p. 102-103 ; — cf. Géographie ancienne abrégée, p. 22. Paris, 1769.

(3) Ukert. Géographic der Griechen und Roemer, 3 vol. in-8°. Weimar, 1816-46, vol. 2 (2ª pars), p. 333.

(4) Desjardins. Géographie historique et administrative de la Gaule romaine. Paris, 1876, 2 vol. in-8°, t. I, p. 305 et seq., t. II, p. 488 et seq.

Secunda opinio Dubos est propria, qui sæculo quinto duci tractus armoricani et nervicani imperium maritimum ab ostiis Rheni usque ad Lapurdum ascribit (1).

Tertiæ opinionis auctor est Boeckingius qui Notitiam dignitatum imperii secutus armoricanum tractum ab ostiis Garumnæ usque ad Sequanam, nervicanum autem a Sequana ad Samaram quinto sæculo pertinuisse, et illum tractum armoricanum et nervicanum per provincias quinque, ut scriptum invenitur in Notitia dignitatum imperii, hoc est, Senoniam, Lugdunensem secundam et tertiam, Aquitaniam primam et secundam, extensum fuissē demonstrare conatus est (2). De aremoricæ autem regionis, Cæsaris tempore, finibus pauca et ea non satis aperta addit : animadvertit tantum tum quoque illum tractum inter Ligerim et Sequanam totum non fuisse contentum, quum Caletes et Lemovices aremoricos fuisse Cæsar nos doceat.

Illam de aremorici tractus finibus tot doctissimorum virorum sentiendi diversitatem ex eo ortam arbitramur, quod tempora et diversas ætates miscuerunt, quum alii Cæsarem Notitiæ dignitatum imperii opponerent, alii ad unum fontem intentius attendentes reliquos non satis accurate examinarent aut omnino negligerent. Nobis quidem videtur *aremoricam* vocem apud Cæsarem longe alio sensu atque in laterculis imperatorum, quinto sæculo, fuisse adhibitam. Apud Cæsarem maritimæ

(1) Dubos. Histoire critique de l'établissement de la Monarchie française dans les Gaules, 3 vol. Paris, 1742, t. I, p. 71, p. 74.

(2) Boecking. Notitia dignitatum. Bonnæ, 1839-1853, 2 vol., t. II, p. 817-835.

civitates ab ostiis Ligeris usque ad orientales Caletum fines *aremoricæ* appellantur. Qui autem fuerint illi aremorici populi e Cæsaris commentariis colligere licet. Num autem vox *aremorica* eamdem significationem usque ad ætatem Notitiæ dignitatum imperii servaverit, non satis aperte indicant rari latinorum scriptorum loci quibus fit de aremorico tractu mentio. Notitiæ autem dignitatum tempore patet jussu et decretis imperatorum Aremoricæ fines valde dilatatos fuisse et multas mediterraneas civitates esse amplexos quæ antea nunquam aremoricæ fuerant appellatæ. Paulatim autem, ut sanctorum quorumdam vita et episcoporum Galliæ loquendi consuetudine patebit, imperatoria illa significatio invalescere et voci *aremoricæ* a doctis et forte a populo attribui cœpit.

Agimus ergo in primo paragrapho de aremorico tractu apud Cæsarem ; in secundo pauca de eo a Cæsare usque ad Notitiæ dignitatum ætatem dicimus ; in tertio de armoricano et nervicano tractu, quinto sæculo, disserimus.

§ 1. — De vocis aremoricæ in Cæsaris de bello gallico commentariis significatione.

Cæsaris commentarios de aremoricis civitatibus interroganti, illud primum mirandum videbitur, vocem *aremoricam* primum in quinto libro apparere, cum in tertio bellum cum potentissima earum civitatum, Venetis, gestum narret, et in secundo de quibusdam populis, quos esse aremoricos apud ipsum constat, mentionem habeat. Quomodo id fieri potuerit perfacile in-

telleget qui ad celticam verbi originem respiciet et *aremoricum* idem fere atque *maritimum* valere ante oculos habebit. Cæsar secundo et tertio libro *maritimos* appellat multos inter eos populos quos Gallorum consuetudine aremoricos appellari postea nos docebit. In primis libris latino verbo utitur Cæsar gallicamque appellationem latine interpretatur ; in ceteris gallicum verbum adhibet. Quoties igitur de maritimis civitatibus quæ Oceanum attingunt in primis commentariorum de bello gallico libris loquitur Cæsar, tenendum est de aremoricis populis agi. Idcirco locos secundi et tertii libri, quibus de *maritimis* illis civitatibus mentio est, statim adimus.

De iis prima mentio in secundo libro, capite XXXIV (1), invenitur. « Eodem tempore (id est, expugnatis Aduatucis) a Publio Crasso, quem cum legione una ad Venetos, Unellos, Osismos, Curiosolites, Esuvios (2), Aulercos, Redones, *quæ sunt maritimæ civitates Oceanumque attingunt,* certior factus est omnes eas civitates in deditionem potestatemque populi romani esse redactas. »

Tertio libro narratur bellum cum Venetis et aliis maritimis populis. Cujus originem his verbis exponit Cæsar (lib. III, cap. VII) : « Publius Crassus adulescens cum legione septima proximus mare in Andibus hiemarat. Is, quod in his locis inopia frumenti erat, præfectos tribunosque militum complures in finitimas

(1) Cæsar. De bello gallico, lib. II, c. 34, ed. Nipperdey. Lipsiæ, 1847, in-8°.

(2) Sesuvios habent omnes correcti codices manuscripti, at *Esuvios* esse legendum infra demonstrabimus.

civitates frumenti causa dimisit ; quo in numero est Titus Terrasidius missus in Esuvios, Marcus Trebius in Curiosolites, Quintus Velanius cum Tito Silio in Venetos. »

Capite octavo ejusdem libri, postquam nos docuit Cæsar Venetos maritimorum populorum esse potentissimos « quod et naves haberent plurimas quibus in Britanniam navigare consuessent, et quod scientia atque usu nauticarum rerum reliquos antecedentes, paucos istius maris portus tenentes omnes fere qui eo mari uterentur vectigales haberent » ; addit ab iis initium retinendi factum esse Silii atque Velanii. Eorum finitimi Trebium Terrasidium retinent et omni ora maritima celeriter ad suam sententiam perducta, *communem* legationem ad P. Crassum mittunt : si velit suos recipere, obsides sibi remittat. Orto bello, « socios ad id bellum *Osismos, Lexovios, Namnetes, Ambiliatos* (1), *Morinos, Diablintes, Menapios* adsciscunt, auxilia ex Britannia quæ contra eas regiones posita est, arcessunt (2). »

Ex his patet totam oram maritimam usque ad Rheni ostia Venetorum auctoritatem esse secutam. Cis Ligerim contra nullos socios habent Veneti : « Quintum Titum Sabinum legatum cum legionibus tribus in Unellos, Curiosolites Lexoviosque mittit qui eam manum distinendam curet. Decimum Brutum adulescentem classi gallicisque navibus quas de *Pictonibus* et

(1) Optimi codices manuscripti *Ambianos* ferunt, at omnes fatentur in eo scribas errasse et plerique loco *Ambianos Ambiliatos* scribunt.

(2) Cæsar. De bello gall., lib. III, c. 9, ed. Nipperdey.

Santonis reliquisque pacatis regionibus convenire jusserat præficit (1). » Bellum cum Venetis Cæsar ipse gerit. Eodem tempore Quintus Titurius Sabinus cum Unellis decertandum habet quibus *Aulerci Eburovices* et *Lexovii* auxilium ferunt (2). Finito bello, « Cæsar exercitum reduxit et in Aulercis Lexoviisque, reliquisque item civitatibus quæ maxime bellum fecerant, in hibernis collocavit (3). »

Ex omnibus locis citatis colligi potest maritimos Oceanumque attingentes, id est, *aremoricos* fuisse populos, Venetos, Unellos, Ossismos, Curiosolites, Esuvios, Aulercos, Redones ; præterea Venetorum fuisse socios, Lexovios, Namnetes, Ambiliatos, Morinos, Diablintes, Menapios et Britannos; nullos autem cis Ligerim socios aut clientes Venetorum apparere. Jam quærendum superest quinam inter illos populos, quos Venetorum socios fuisse dicit Cæsar, clientes fuerint ; quinam libenter aut casu quodam cum iis se conjunxerint; num peculiare quoddam fœdus aut necessitas quædam inter populos aremoricos exstiterit ; qui fuerint illi Aulerci quos maritimos Cæsar appellat. De Esuviis enim non ambigitur. Victis Belgis liberatoque ab obsidione Cicerone, Cæsar « ab Lucio Roscio quem legioni XIII præfecerat, certior factus est magnas Gallorum copias earum civitatum, quæ *armoricæ* appellantur, oppugnandi sui causa convenisse, neque longius millia passuum octo ab hibernis suis afuisse, sed nuntio allato de victoria Cæsaris discessisse, adeo

(1) Cæsar. De bello gall., lib. III, c. 11.
(2) Cæsar. De bello gall., lib. III, c. 17.
(3) Ibid., lib. III, c. 29.

ut fugæ similis discessus videretur (1). » At capite XXIV ejusdem libri hiberna Roscii apud Esuvios fuisse scimus : « Unam (legionem) in Morinos ducendam Gaio Fabio legato dedit (Cæsar), alteram in Nervios Quinto Ciceroni, tertiam in Esuvios Lucio Roscio. » Sesuvios optimi codices ferunt; *Esuvios* autem corrigendum esse titulus in insula Jersey repertus nos docet. Fert enim titulus ille : *ESVVIOS* (2). Populum autem illum partem nostræ Normandiæ (Orne et Calvados occidental) occupasse vulgo creditur (3).

Aliarum autem quæstionum quas nobis enucleandas proposuimus septimus commentariorum de bello gallico liber dilucidam et inexpugnabilem solutionem præbet. Textum ex optimis manuscriptis codicibus a Nipperdey constitutum damus ; quæ autem sint correctiones adoptandæ, postea videbimus. Ad caput LXXV libri septimi adimus, in quo de numero militum cuique civitati imperando, in concilio principum Galliæ, agitur. « Imperavit Æduis atque eorum clientibus, Segusiavis, Ambivaretis, Aulercis Brannovicibus, Brannoviis, milia XXXV ; parem numerum Arvernis, adjunctis Eleuteris, Cadarcis, Gabalis, Vellaviis, qui sub imperio Arvernorum esse consuerunt ; Sequanis, Senonibus, Biturigibus, Santonis, Rutenis, Carnutibus, duodena milia; Bellovacis decem, totidem Lemovicibus; octona Pictonibus et Turonis et Parisiis et Helvetiis ; Suessionibus, Ambianis, Mediomatricis, Petrocoriis,

(1) Cæsar. De bello gallico, lib. V, c. 53.

(2) Desjardins. Géographie de la Gaule romaine, t. II, p. 491. Cf. *ES VIOS*, Revue celtique, III, p. 249 (Anatole de Barthélémy).

(3) Desjardins. Géographie de la Gaule rom., II, p. 638.

Nerviis, Morinis, Nitiobrogibus quina milia; Atrebatibus IV; Velliocassis (1), Lexoviis et Aulercis Eburonibus (lege Eburovicibus secundum Valesii conjecturam) terna; Rauracis et Boiis..... ; XXX universis civitatibus quæ Oceanum attingunt quæque earum consuetudine *armoricæ* appellantur; quo sunt in numero Curiosolites, Redones, Ambibarii, Caletes, Osismi, Lemovices, Unelli. »

Omnino rejiciendus videtur Frigellii textus quem secutus est Desjardins (Géogr. de la Gaule, II, p. 488) scribentis : « *tria* milia universis civitatibus quæ Oceanum attingunt » : patet Cæsarem *tria* hoc loco scribere non potuisse. Quædam editiones, non optimos codices manuscriptos secutæ, *Namnetes* inter nominatas hoc loco a Cæsare aremoricas civitates ferunt.

Quidquid de Lemovicibus hoc eodem loco inter aremoricos populos enumeratis sentiendum est, concludi rectissime potest :

1° *Aremoricam* revera societatem exstitisse, Arvernorum et Æduorum societati similem, cum iis una aremoricis civitatibus triginta milia armatorum imperentur, et, libro secundo, communem legationem ad Romanos mittant;

2° Ex illa fœderatorum populorum communitate socios Venetorum in libro tertio enumeratos, nempe

(1) Cf. Dübner. C. Julii Cæsaris Commentarii : Paris, 1867, 2 vol., t. I. — Quaterna Velliocassis, Lexoviis et Aulercis Eburovicibus; terna Rauracis et Boiis..... ; quo sunt in numero Curiosolites, Redones, Ambibarii, Caletes, Osismi, [Lemovices], Unelli. — Kraner, ed. de bello gallico. Berlin, 1863, Nipperdey correctiones et conjecturas in textum Cæsaris introduxit.

Menapios, Morinos, Aulercos Eburovices, esse excludendos, cum separatim auxilia mittenda habeant;

3° Nullam cis Ligerim aremoricam civitatem habitasse, cum populi quos constat cis Ligerim fuisse Namnetibus finitimos, id est, Pictones et Santones separatim auxilia mittere jussi sint ;

4° Trans Sequanam autem, inter Belgas, Caletes tantum aremoricos esse appellandos, cum Velliocasses et Ambiani separatim nominentur;

5° Aremoricos a Cæsare appellari quos *maritimos* jam appellaverit : Curiosolites, Redones, Osismos, Unellos, iisque addendos esse Caletes et Ambibarios.

Cum autem, inter populos quibus separatim auxilia mittenda sint, neque Esuvii neque Diablintes, quos Venetorum socios fuisse scimus, nominentur, inter aremoricos populos videntur numerandi. Diablintes autem eos Aulercos esse quos maritimos libro secundo dicit Cæsar, pro certo tenendum est, cum ceteri Aulerci, id est, Aulerci Eburovices, Aulerci Cenomanni, et Aulerci Brannovices auxilia separatim mittant, et Diablintes sine dubio Aulerci fuerint appellati. Sic enim legitur apud Ptolemæum : « ἐν δὲ τῇ μεσογείᾳ τῶν μὲν Ουένετων εἰσιν ἀνατολικώτεροι Αὐλίρκιοι οἱ Διαβλῖται ὧν πόλις Νοιόδουνον (1). » Namnetes quoque aremoricos fuisse, ex ipso situ et eorum cum Venetis societate concludendum est ; adde quod inter populos quibus separata auxilia imperentur, nusquam nominentur. Libro autem septimo eos non fuisse nominatim indicatos, non magnopere mirandum est, cum exactam perfectamque aremoricarum civitatum enumerationem dare Cæsari

(1) Ptolemæ. Geograph., lib. II, c. 7, éd. Wilberg. Essen, 1838.

in animo non fuisse ex his verbis : *quo sunt in numero,* appareat. Cur vero de Venetis optimi codices manuscripti nullam mentionem habeant, quære apud Cæsarem : « omni senatu necato reliquos sub corona vendidit (1). »

Hos ergo aremoricos fuisse populos pro certo habemus : Caletes, Esuvios, Unellos, Ambibarios (Avranchin), Aulercos Diablintes, Redones, Curiosolites, Osismos, Venetos, Namnetes. Hi omnes Venetorum clientes erant qui socios a Ligeris ostiis ad Rheni ostia, et in Britannia etiam habebant.

Non alienum est hic quoque animadvertere aliquid apud aremoricas civitates potuisse Carnutes : « Carnutes qui sæpe vexati nunquam pacis fecerant mentionem, datis obsidibus, veniunt in deditionem, ceteræque civitates positæ in ultimis Galliæ finibus, Oceanoque conjunctæ, quæ *armoricæ* appellantur, auctoritate adductæ Carnutum, adventu Fabii legionumque, imperata sine mora faciunt » (2).

Ea autem Carnutum auctoritas religione et cultu deorum orta videtur. Scimus enim certo anni tempore, in finibus Carnutum, in loco consecrato, Druidum solemne fieri consuesse concilium (3).

Jam de Lemovicibus qui, libro septimo, inter aremoricas civitates in codicibus manuscriptis enumerantur, dicendum superest. De iis Lemovicibus, qui ab Arvernis non longe aberant, quæstio esse non potest (4),

(1) Cæsar. De bello gall., lib. III, c. 16.
(2) Cæsar. De bello gall., lib. VIII, c. 31.
(3) Ibid., lib. VI, c. 13.
(4) Cæsar. De bello gall., VIII, c. 46.

cum separatim auxilia mittant et Pictonibus Santonisque sint finitimi. Num autem reipsa aremorici Lemovices exstiterint, et quinam fuerint, inter doctos ambigitur.

Quatuor præcipuas opiniones exponit Maximinus Deloche, qui de istis Lemovicibus accuratissime disseruit (1) :

1° Alii, ut Scaliger, Glandorp, Sanson, putant Lemovices e textu Cæsaris omnino esse abolendos, cum jam semel fuerint nominati ;

2° Valesius, post d'Argentré et Vinet non *Lemovices* sed Leonenses legit atque apud Ossismos hac ætate Leonensem pagum exstitisse opinatur. D'Anville Valesio assentitur (2) ; *Leonices* autem legit, quam lectionem mendosus quidam codex manuscriptus profert. Quam opinionem nemo britannicarum rerum gnarus sequetur : constat enim illam appellationem post Brittonum in fines Ossismorum demigrationem natam esse, et britannicam, non gallicam esse appellationem ;

3° D. Martin et D. Brézillac (Histoire des Gaules) animadvertentes Ratiatum (Rezé) quibusdam Ptolemæi codicibus Lemovicibus attribui, episcopumque Pictavorum Ratiatensem interdum fuisse appellatum, opinati sunt Lemovices aremoricos reipsa exstitisse, recteque inter aremoricas civitates eorum nomen apud Cæsarem inveniri ; ceterum Pictones Lemovicesque unum eumdemque populum esse, hocque vel urbis Pictonum, Limoni, nomine indicari. Recte animadvertit Deloche, quid-

(1) Maximin Deloche. Les Lémovices de l'Armorique (Mémoires de la Société des Antiquaires de France, t. III, 3e série).

(2) Vales. Not. Galliar, p. 269.

quid de Lemovicibus sentiendum sit, Pictones et Lemovices unum eumdemque populum esse non potuisse, cum eos semper distinguat Cæsar, et separatim auxilia mittenda habeant. Addere etiam potuisset Deloche diversam eos erga Romanos agendi rationem iniisse;

4° Walckenaer (1) eamdem fere opinionem sequitur, Lemovices tamen Pictonesque eumdem fuisse populum non contendit. Animadvertit quosdam Ptolemæi codices Ratiatum Lemovicibus attribuere, alios autem Lemovicum caput esse Augustoritum ferre, cum alia ex parte Limonum et Ratiatum Pictonum urbes esse in iisdem legatur; probabile igitur esse Lemovices bis apud Ptolemæum, ut apud Cæsarem, fuisse nominatos, Lemovices scilicet mediterraneos, quorum urbs caput esset Augustoritum, Lemovicesque aremoricos apud quos Ratiatum præcipuum esset oppidum; duplicem autem hanc Lemovicum mentionem scribis errorem visum esse et ab iis Lemovices aremoricos deletos fuisse.

Addit Deloche codicem A. Ptolemæi manuscriptum (Biblioth. nat. lat., 1401) Ratiatum apud Lemovices, Limonum et Augustoritum apud Pictones collocare; in quo si errasse judicentur scribæ, miram sane dici posse nominum translationem, cum paragraphus de Pictonibus a paragrapho de Lemovicibus per paragraphos 7, 8, 9 separetur. Concludit igitur Deloche bis recte apud Cæsarem libro septimo commentariorum de

(1) Walckenaer. Géographie ancienne, historique et comparée des Gaules cisalpine et transalpine, 3 vol. in-8°. Paris, 1839, t. I, p. 367 et seq.

bello gallico Lemovices scribi, Lemovicesque aremoricos a mediterraneis Lemovicibus esse distinguendos. Ad hanc opinionem fulciendam affert locum e vita sancti Vedasti (Waast) extractum, in quo legimus Vedastum in finibus Lemovicum, in monte Leucis, *Petragoriam inter et Lemovicum civitatem, esse natum.*

Sic de illo monte sancti Vedasti vitæ scriptor loquitur : « Aquitania montem habet qui æqualibus pæne spatiis Petragoriam et Lemovicum civitates dirimit; super cacumen ejus antiquis et præteritis ætatibus, incertum an civitas an castrum fuit, cujus enormitatem et munitissimam magnificentiam ruinarum indicia et moles dirutæ satis demonstrant quanta fuerit res ipsa; nomen montis ex tunc et nunc Leucus est, ex nomine montis castrum illud etiam nomen sortitum est, sed et populus regionis illius Leuci sunt dicti maxima pars Aquitaniæ usque in Oceanum (1). »

Recte forsan censet Deloche montem illum hodie *Chalus* esse. At cum gallice interpretatur Leucos maximam Aquitaniæ partem usque ad Oceanum occupare (2), et montem illum contendit a Chalus septentrionem versus ad ostia Ligeris per Pressac, Melle, Chenay, La Châteigneraye, Les Herbiers, Saint-Jean-de-Mont, excurrere, quem montium saltum si sequaris multa nomina (La Mothe-Limousin, La Limozinière) Lemovicum præsentiam prodentia tibi occurrant, nobis a vero deflectere videtur.

Primum dicere forte voluit vitæ Vedasti scriptor

(1) Bolland. Acta sanct. Februar., I, p. 794.

(2) « Les Leuci couvraient la plus grande partie de l'Aquitaine jusqu'à l'Océan. »

Leucorum maximam partem ad illam Aquitaniam pertinere quæ est usque ad Oceanum, aut Leucos maximam esse partem illius Aquitaniæ quæ vergit ad Oceanum. Deinde non de illo montium saltu agi nobis videtur qui a Chalus ad septentrionem et Ligeris ostia dirigitur, sed de alio monte qui Petragoriam inter et Lemovicum civitatem apparet et ad mare et Garumnæ fere ostia excurrit; in hoc saltu non procul a Jonzac, nomen *Montlieu* invenitur, quod Leucorum montis nomen quam exactissime refert. Non alienum est hic animadvertere totum illum de ortu sancti Vedasti locum mendacium et fabulam redolere. Antiquissimus ejusdem illius vitæ codex manuscriptus sæculo octavo exaratus (1), illum non habet, verum, ut Bollandistarum textus, fert sanctum Vedastum semper apud Belgas fuisse versatum, et Tulli, apud *Leucos,* habitasse. Nomen Leuci diu urbi Tullo datum est. Patet post octavum sæculum vitæ Vedasti additamenta esse facta; Leucos, obscurum quemdam Aquitaniæ pagum, pro Leucis, Belgico populo, ab Aquitano quodam monacho, scriptos et illius pagi fines sine dubio ab eo valde dilatatos fuisse.

Quod si ad locum libri septimi Cæsaris de bello gallico commentariorum supra citatum convertimur, unicum fere scriptorum argumentum qui Lemovices aremoricos exstitisse contendunt, suspectus statim videtur, quod de his Lemovicibus qui inter aremoricas civitates nominantur nunquam postea fit mentio. Quærendum

(1) Biblioth. nation. lat., 12598, f. 28-32.

est ergo nonne in eo loco interpolata quædam fuerint (1), et errore scribarum Lemovices pro alio populo in eo loco collocati sint. Quod fecit Nipperdey qui, nulla alia de causa nisi propter Cæsaris loquendi consuetudinem, pro Lemovicibus Lexovios ponere non dubitavit. Sic illum libri septimi locum restituit : « Bellovacis decem ; octona Pictonibus et Turonis et Parisiis et Helvetiis ; Ambianis, Mediomatricis, Petrocoriis, Nerviis, Morinis, Nitiobrogibus, quina milia ; Aulercis Cenomannis totidem ; Atrebatibus IV, Velliocassis totidem ; Lemovicibus et Aulercis Eburovicibus terna ; Rauracis et Boiis bina ; XXX universis civitatibus quæ Oceanum attingunt quæque eorum consuetudine armoricæ appellantur, quo sunt in numero Curiosolites, Redones, Ambibarii, Caletes, Osismi, Lexovii, Unelli (2). »

Optimi codices, ut animadvertit Oudendorp, post *Atrebatibus IV* ferunt : Belliocassis, Lexoviis *et* Aulercis Eburonibus terna. Cum autem certum sit indicium interpolationis particula *et* tertio loco posita (3), quam tribus vel pluribus orationis membris æqualiter compositis neque Cæsar neque Hirtius æque atque re-

(1) Usus est Deloche textu Jungermann (Francofurti, 1606) evidentissime corrupto : « Bellovacis decem, totidem Lemovicibus ; octona Belliocassis, Lexoviis ; Aulercis Eburonibus terna. Rauracis et Boiis *XXX ;* universis civitatibus quæ Oceanum attingunt quæque eorum consuetudine armoricæ appellantur, quo sunt in numero Curiosolites, *Cadetes*, Osismi, Lemovices, Veneti, Unelli, *sena.* »

(2) Nipperdey. Cæsar. De bello gall., ad. lib. VII, c. 75, p. 104-110.

(3) Madvig. Opuscula priora, p. 323, ap. Nipperdey, p. 68, de bello gall.

liqui hujus ætatis scriptores extremis membris interponunt, sed aut omnibus locis aut nullo, conclusit recte Nipperdey (1) duos tantum hic e tribus enumeratis in codicibus populis a Cæsare reipsa fuisse conjunctos, Belliocassesque alium numerum dedisse. « Atqui, pergit Nipperdey, cum populi hic secundum multitudinem hominum enumerentur, et Atrebates IV milia dederint, Aulerci Eburovices et populus superior *terna,* apparet Belliocasses *totidem,* dedisse quot Atrebates. Itaque illud *totidem,* quod supra Lemovicibus ascriptum legitur (vide supra, pag. 22), hic collocari apte potest. Jam Lexovios e Strabone, IV, p. 29, Ptolemæo, II, 8, 5, maritimos fuisse populos scimus ; a Cæsare, III, 9, 10, adjunguntur Osismis, qui infra in enumeratione civitatum armoricanarum Lemovices præcedunt. Hoc cum considero, vel maxime mihi videtur probabile non solum *totidem* sed totum illud *totidem Lemovicibus* huc esse transferendum, et, cum errore scriptum esset *Belliocassis, Lexoviis et Aulercis Eburovicibus terna,* ea verba in margine esse scripta ut corrigerentur : *Belliocassis totidem ; Lemovicibus et Aulercis Eburovicibus terna.* »

Quæri autem potest quomodo post Bellovacos illud *totidem Lemovicibus* fuerit scriptum. Non absurde respondet Nipperdey id propter similitudinem nominis cum Belliocassis evenisse ; Lexovios vero, ut hic errore pro Lemovicibus scriptos, ita, contrario errore, inter civitates aremoricas Lemovices pro Lexoviis positos existimat. Verisimillimum est igitur Lemovices bis in illo commentariorum de bello gallico loco errore fuisse

(1) Nipperdey. Cæsar., p. 108-109.

scriptos. Illud certum fit, si Strabonem et Ptolemæum interrogamus : Ὁ δὲ Λείγηρ μεταξὺ Πικτόνων τε καὶ Ναμνητῶν ἐκβάλλει..... πρὸς δὲ τῷ ὠκεανῷ Σαντονές τε καὶ Πίκτονες, οἱ μὲν πρὸς Γαρούνα παροικοῦντες, ὡς εἴπομεν, οἱ δὲ τῷ Λείγηρι (1). — Κατέχουσι δὲ τῆς Ἀκουιτανίας τὰ μὲν ἀρκτικώτατα τὰ πρὸς τῷ ποταμῷ καὶ πρὸς τῇ θαλάσσῃ Πίκτονες ὧν πόλεις αἵδε (2) Ῥατίατον καὶ Λίμονον. In quibusdam codicibus non Ῥατίατον sed Αὐγουστόριτον legitur. Addit Ptolemæus : ἐν δὲ τῇ μεσογείᾳ τοῖς μὲν Πίκτοσιν ὑπόκεινται Λιμουῖκοι καὶ πόλις Αὐγουστόριτον (var. lect. Ῥατίαστον) (3).

Patet, si reipsa Lemovices aremoricani exstitissent, quorum urbs fuisset Ratiatum, et si, ut volunt Deloche et Walckenaer, bis apud Ptolemæum fuissent nominati, nunquam Ptolemæum scripturum fuisse Pictones, juxta mare, septentrionem versus, extremos Aquitaniæ populos esse. Eos, sine dubio, a Garumna ad Ligeris ostia maris periplum faciens, nominare non omisisset.

His omnibus de causis nullos unquam fuisse Lemovices aremoricos et pro Lemovicibus apud Cæsarem Lexovios inter aremoricas civitates esse ponendos concludimus.

Non prætermittenda hic Strabonis de aremoricis populis opinio, qui eos Belgas esse contendit : « Μετὰ δέ τὰ λεχθέντα ἔθνη (Μέλδους) τὰ λοιπὰ τῶν Βελγῶν ἐστιν ἔθνη τῶν παρωκεανιτῶν ὧν Οὐένετοι μέν εἰσιν οἱ ναυμαχήσαντες πρὸς Καίσαρα ..... Ὀσίσμοι δ᾽εἰσὶν οὓς (ὡς) τιμίους ὀνομάζει Πυθέας ἐπί τινος προπεπτωκυίας ἱκανῶς ἄκρας εἰς τὸν ὠκεανὸν οἰκοῦντες (4). »

(1) Strabonis. Geographia, IV, c. 2, éd. Müller et Dübner. Paris, 1853.
(2) Ptolemæi. Geographiæ, lib. II, c. 7, 4.
(3) Ibid., lib. II, c. 7, 10.
(4) Strabon. Geograph., lib. IV, c. 4.
Vide ampliorem de hac Strabonis opinione dissertationem apud Coray.

Illa Strabonis affirmatio vel hoc infirmatur quod se Julii Cæsaris definitiones sequi profitetur (1). Notandum tamen est Caletes sine dubio Belgas fuisse et alios Belgicæ populos, Morinos, Menapios, Venetorum socios fuisse. Adde quod Cæsaris testimonio scimus auxilia Venetos ex ea parte Britanniæ quæ est contra Galliam arcessisse, quam maxima ex parte a Belgis esse occupatam constat.

Quidquid id est, Cæsaris tempore, tractus aremoricus a Ligeris ostiis usque ad Caletum orientales fines pertinebat.

§ 2. — De appellationis *aremoricæ* a Cæsare usque ad quarti sæculi finem significatione.

A Cæsare usque ad quartum sæculum vox *aremorica* nusquam nisi apud Plinium legitur : « A Scalde ad Sequanam Belgica, ab ea ad Garumnam Celtica eademque Lugdunensis, inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitanica, *Aremorica* ante dicta (2). » Cum *aremorica* vox celtica sit, et Iberi totum a Garumna ad Pyrenæum montem litus, si Biturigum Viviscorum fines excipias, occupaverint, concludendum est aut errasse Plinium, aut potius scribam post Aquitanicam transtulisse quod Plinius post Lugdunensem scripserat. Sic forte restituendus est ille locus « ... a Scalde ad Sequanam Belgica, ab ea ad Garumnam Celtica eademque Lugdunensis, *Aremorica ante dicta...* »

Tria nobis sæcula transeunda sunt ut apud aliquem

(1) Strabon. Geograph., lib. IV, c. 1.

(2) Plinius. H. N., lib. IV, cap. XVII, 31.

latinum scriptorem de Aremorica mentionem inveniamus. Legitur apud Ausonium (Epist., IX, v. 30) :

Sunt et aremorici qui laudent ostrea ponti
Et quæ Pictonici legit accola litus.

Alio loco (Carmen., X, de profess.) Hæc de Phæbicio patre Pateræ grammatici legimus :

Sed tamen , ut placitum,
Stirpe satus Druidum
Gentis aremoricæ
Burdigalæ cathedram
Nati opera obtinuit.

Attium Pateram autem grammaticum docet nos Ausonius « *Bajocassis* stirpe Druidum satum » (1). Ex his inferri potest, cum una ex parte Ausonius Pictonicum litus ab aremorico distinguat, et altera in Aremorica Bajocasses ponat, eumdem sensum quarto sæculo atque apud Cæsarem, in ore Gallorum, appellationem *aremoricam* servasse.

Apud Eutropium, qui Constantini Julianique ætate floruit, de tractu *Armoricæ* his verbis mentio fit : « Per hæc tempora etiam Carausius, qui vilissime natus strenuæ militiæ ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum *Belgicæ et Armoricæ* pacandum mare accepisset, quod Franci et Saxones infestabant »... (2).

Probabile est illum tractum cum tractu armoricano et nervicano, qui in Notitia dignitatum definitur, non esse confundendum. Hoc vel appellationis diversitas, cum de imperatoria divisione et definitione quæstio sit, indicat. Dein tractum armoricanum et nervicanum,

(1) Auson. Profess., IV, v. 7.
(2) Eutropii breviarium, lib. IX, c. 21.

et tractum Sequanicæ post annum 411 definitos fuisse verisimile est. Notitia enim dignitatum inter annos 411-413 conscripta fuit (1). At capite quinto Notitiæ dignitatum occidentis sub dispositione magistri peditum præsentalis duces illorum tractuum desiderantur, cum in indice et in libro ipso (cap. XXXV, XXXVII, ed. Otto Seeck) reperiantur. Probabile ergo videtur illos tractus, postquam initium scribendæ Notitiæ factum est, id est, post annum 411, fuisse creatos et definitos. Tractus Belgicæ et Armoricæ, de quo loquitur Eutropius, a Ligeris ostiis usque ad ostia Rheni forte pertinebat; *Armorica* autem eosdem quos antea fines sine dubio amplectebatur.

§ 3. — De vocis Aremoricæ quinto sæculo et in Notitia dignitatum imperii præsertim significatione.

Quinto sæculo vox armorica in laterculis imperii alio sensu aliaque forma atque apud Gallos adhibetur. Armoricani tractus fines longius extenduntur formaque *armorica* in locum *aremoricæ* succedit.

Hi sunt Notitiæ loci quibus de armoricano tractu agitur :

« Notit. dignit. occid., cap. XXXVII (2) :

Sub dispositione viri spectabilis ducis tractus armoricani et nervicani :

Tribunus cohortis primæ novæ Grannona in littore saxonico.

(1) Otto Seeck. Quæstiones de notitia dignitatum. Berolini, 1872, p. 11.

(2) Otto Seeck. Not. dign., p. 204-206; cf. Boecking, t. II, cap. XXXVI.

Præfectus militum Garronensium Blabia.
Præfectus militum maurorum Venetorum Venetis.
Præfectus militum maurorum Osismiacorum Osismiis.
Præfectus militum superventorum Mannatias.
Præfectus militum martensium Aleto.
Præfectus militum Primæ Flaviæ Constantia.
Præfectus militum Ursariensium Rotomago.
Præfectus militum Dalmatarum Abrincatuis.
Præfectus militum Garronensium Grannono.

Extenditur tamen tractus armoricani et nervicani limitis per provincias quinque per Aquitanicam primam et secundam, *Lugdunensem* Senoniam, secundam [Lugdunensem] et tertiam. »

Quidquid de militarium stationum situ et nomine disputari potest, hoc pro certo tenendum est, tractum armoricanum et nervicanum per provincias quinque extensum fuisse. Qui autem eo tempore fuerint provinciarum fines et quænam in una quaque earum civitates, docet nos Notitia Galliarum (1) :

« In provincia Lugdunensi secunda civitates num. VII :
Metropolis civitas Rotomagensium.
civitas Baiocassium.
civitas Abrincatum.
civitas Ebroïcorum.
civitas Saiorum.
civitas Lexoviorum.
civitas Constantia.

In provincia Lugdunensi tertia civitates num. IX :
Metropolis civitas Turonorum.

(1) Otto Seeck. Notitia dignitatum; accedunt Notitia urbis Constantinopolitanæ et laterculi provinciarum, p. 263 et sq.

Metropolis civitas Cenomannorum.
civitas Redonum.
civitas Andecavorum.
civitas Namnetum.
civitas Coriosolitum (1).
civitas Venetum.
civitas Ossismorum.
civitas Diablintum.

In provincia Lugdunensi Senonia civitates num. VII :

Metropolis civitas Senonum.
civitas Carnotum.
civitas Autissioderum.
civitas Autricum.
civitas Tricassium.
civitas Aurelianorum.
civitas Parisiorum.
civitas Melduorum.

In provincia Aquitanica prima civitates num. VIII :

Metropolis civitas Biturigum.
civitas Arvernorum.
civitas Rutenorum.
civitas Albigensium.
civitas Cadurcorum.
civitas Lemovicum.
civitas Gabalum.
civitas Vellavorum.

In provincia Aquitanica secunda civitates num. VI :

(1) Var. in codice septimi sæculi *coriosopitum;* in codice sexti sæculi (Bibl. nat., 12,097) *coriosopotum;* in duobus codicibus, uno noni sæculi, altero decimi quinti : *corisopitum;* var. : *consulitum, conisolitum.*

Metropolis civitas Burdigalensium.
civitas Agennensium.
civitas Ecolismensium.
civitas Santonum.
civitas Pictavorum.
civitas Petrocoriorum. »

Tractus igitur armoricanus per quinque provincias extenditur, quarum tres ad Aremoricam nunquam antea pertinuerant, scilicet : Aquitanica prima et secunda, Lugdunensis Senonia. Quædam quoque in Lugdunensi tertia civitates quæ antea, aremoricæ non dicebantur, nempe civitas Cenomannorum, civitas Turonorum, civitas Andecavorum, in tractu armoricano collocantur. De civitate Coriosolitum aut Corisopitum valde ambigitur. Quæri potest utrum Corisopiti novam civitatem formaverint inter Ossismos et fortasse Venetos, an *Curiosolites* corrigendum sit : litem dijudicare, ut arduum, ita a nostro proposito alienum videtur.

In Lugdunensi secunda quædam civitatum nomina mutata sunt: in locum Unellorum, Ambibariorum, Esuviorum, successerunt civitas Constantia, civitas Abrincatum, civitates Sagiorum et Bajocassium. Civitas Rotomagensium Caletes sine dubio comprehendit. Ebroïci autem, quod nomen ab Eburovicibus ortum est, ad tractum armoricanum additi sunt.

Jam quærendum est quid per nervicanum tractum, sæculo quinto, intellexerint, ut accurate proprios aremoricæ fines distinguamus. Illud nomen regioni a Sequana ad Samaram pertinenti fuisse impositum haud injuria Boecking opinatur (1). Ultra enim Samaram sine

(1) Boecking. Not. dignit., t. II, p. 822-823.

dubio, cum ab Ambianis dextram Samaræ ripam occupatam fuisse nemo neget, incipiebat Belgicæ secundæ ducatus. Has enim civitates tunc temporis fuisse in Belgica secunda, in Notitia Galliarum, legimus :

« In provincia belgica secunda civitates num. XII (1) :
Metropolis civitas Remorum.
civitas Suessionum.
civitas Catalaunorum.
civitas Veromanduorum.
civitas Atrabatum.
civitas Camaracensium.
civitas Turnacensium.
civitas Silvanectum.
civitas Bellovacorum.
civitas Ambianorum.
civitas Morinum.
civitas Bononensium. »

Cum autem Nervicanum tractum cis Sequanam extensum non fuisse pateat, et trans Samaram Belgicæ secundæ ducatu cohibeatur, concludendum videtur illa appellatione regionem trans Sequanam usque ad Samaram aut Ambianorum fines designatam fuisse. Rotomagenses in Nervicano tractu sitos esse probat Pauli ad Victricum, Rotomagensem episcopum, a Valesio citata epistola (2) ; in ea enim de *remotissimo nervici limitis tractu,* in quo prædicavisse Victricum dicit, mentio invenitur. Nihil causæ subest cur cum Scaligero, loco *Nervicani, Ebroïci* tractus legatur (3).

(1) Otto Seeck. Notit. dignit., p. 265-266.
(2) Vales. Notit. Gall., p. 568.
(3) Scaliger. Auson. lectt. II, 6 et 14.

Quidnam vero causæ fuerit cur Nervicanum tractum litus illud appellaverint, in promptu non est. Hanc enim maritimam oram Nervios nunquam incoluisse, non solum e Cæsare, sed etiam e Strabone et Ptolemæo erui potest. Sic enim apud Strabonem legitur : Τοῖς Μεναπίοις δ'εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ Μορινοὶ καὶ Βελλοάκοι καὶ Ἀμβιανοὶ καὶ Σουεσσίωνες καὶ Κάλετοι μέχρι τῆς ἐκβολῆς τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ (1).

Ptolemæus, postquam Bellovacos, Ambianos, Morinos, flumen Tabullam, Tungros cum civitate Atuatuca, et Menapios enumeravit, addit : ὑπὸ δὲ τὰ εἰρημένα ἔθνη παρήκουσιν ἀρκτικώτεροι μὲν Νερούϊοι ὧν πόλις Βάγακον (2). Κατέχουσι τὴν μὲν ἀρκτικὴν παράλιον ἀπὸ τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ Καλῆται ὧν πόλις Ἰουλιόβονα (3). »

In tabula Peutingeriana *Nerviges* etiam juxta Durocortorum (Reims) ponuntur, cum eos apud Cæsarem Ambianorum esse finitimos apertis verbis declaretur : « .. in fines Ambianorum pervenit... Eorum fines Nervii attingebant (4). » Finitimos quoque Aduatucorum esse Nervios e libro quinto, cap. 38 Commentariorum de bello gallico apparet : « Aduatucisque concitatis, postero die in Nervios pervenit (Ambiorix). » Propriam ergo Nerviorum regionem in Scaldis et Sabis cursu superiore collocare possumus ; quæ regio ab illo nervicano Notitiæ tractu procul abest. Fieri potuit ut, quarto sæculo, Eutropii ætate, cum totum litus usque ad ostia Rheni aut saltem Germaniæ secundæ fines sub

(1) Strabon., lib. VII, c. 3.

(2) Ptolemæ. Geograph., lib. II, c. 9, 11.

(3) Ibid., lib. II, c. 8, 5.

(4) Cæsar. De bello gall., lib. II, cap. XV.

eodem comite esset, belgicum et sæpe nervicanum, quod esset belgici tractus illustrissimum nomen, litus illud fuerit appellatum, et postea, definitis aliter tractus armoricani et belgici finibus, vetus illa appellatio permanserit. Quidquid id est, septentrionem versus, Sequana, Notitiæ dignitatum ætate, aremorica regio definita videtur.

Jam si ad meridionalem tractus armoricani partem convertimur, nulla apparet causa cur Notitiæ verbis non stemus et cum Dubos tractum illum Lapurdum usque extendamus. Testatur enim Notitia dignitatum in provincia novempopulana Lapurdum esse situm : « In provincia novempopulana : tribunus cohortis novempopulanæ Lapurdo (1). » At, ut supra vidimus, provincia novempopulana inter tractus armoricani provincias non enumeratur.

Freti igitur Notitiæ dignitatum imperii et Notitiæ Galliarum fide, tractum armoricanum et nervicanum a Garumna usque ad Samaram pertinere et provincias quinque supra enumeratas continere; tractum autem armoricanum, relicto nervicano, Garumna et Sequana definiri concludimus.

Jam quærendum superest quare contra tam aperta Notitiarum verba viri doctissimi insurrexerint et quæ tam firma argumenta eorum menti succurrerint ut suam sententiam imperatorum voluntati et decretis opposuerint. Si audias Valesium, præcipuum rebellionis ducem, eum Notitiæ auctoritatem subire et ejus verba fideliter interpretari credas : « apparet ergo, inquit,

(1) Not. dignit., cap. XLII, 10 ed. Otto Seeck.

armoricarum civitatum nomine designari maritimas civitates inter Ligerim et Sequanam positas. *Idem facit* Notitia imperii in tractu armoricano Blabiam vel potius Blavittam (Blavet, hodie Port-Louis, juxta *Lorient*), Venetos, Osismos, Mannatias (ubi Namnetes lego), Aletum, Rotomagos, Abrincatos, ponens, quæ urbes et castella Ligere et Sequana clauduntur (1). »

At infra, postquam ipse plures scriptorum locos protulit quibus manifestissimum est Blabiam hodie Blaye esse, evidentiæ tamen his mirandis verbis repugnat: « Nihilominus Blaviam heic castrum Aquitaniæ locum haberi posse non puto, *cum constet* armoricanum tractum Ligere et Sequana fluvio seu Lugdunensis secundæ et tertiæ finibus terminari, nec unquam, *quidquid dicat Plinius et Notitia*, oram aquitanicam et novempopulanam, multo minus provinciam Aquitanicæ primæ, quæ a mari remota et mediterranea est, armoricæ et armoricani tractus nomine a quoquam fuisse designatam (2). » Inde sequitur Valesium, qui primum Notitiæ decreta admittere videtur, contra ejus apertissima verba insurgere: 1° quod apud Cæsarem aremoricæ civitates inter Ligerim et Sequanam sitæ sint; 2° quod una e provinciis, quas armoricano tractui Notitia attribuit, non maritima sed prorsus mediterranea sit.

Primum argumentum nihil nos morabitur. Si enim eo quod, apud Cæsarem, Liger, meridiem versus, Aremoricam clausit, negas, quinto sæculo, armoricanum tractum ad Garumnam extensum fuisse, nega quoque regionem inter Garumnam et Ligerim sitam,

(1) Vales. Notit. Gall., p. 43.

(2) Vales. Not. Gall., p. 89.

Aquitanicam unquam fuisse appellatam, quam, Cæsaris tempore, Celticæ partem fuisse constat. Multis exemplis, omni ætate, comprobari potest principum et regum divisiones cum populorum loquendi consuetudine non semper congruere. Non majoris momenti est alterum argumentum. Eo magis mirandum est Valesium contendere Aquitaniam primam improprie tractui armoricano attribui cum mediterranea sit, quod ipse tractum armoricanum per Lugdunensem secundam et tertiam extendit, quibus in provinciis multæ sint mediterraneæ civitates nunquam aremoricæ apud Cæsarem dictæ.

Oblitus est Valesius a Constantino imperatore administrationem imperii esse mutatam et militarem a civili discretam fuisse potentiam; ducatum autem tractus armoricani et nervicani unum esse e quinque novis magnisque in Gallia constitutis militaribus imperiis. Jam tractus non provinciam aut diœcesim designavit, sed territorium militare et sæpe mediterraneum, id est, provincias aut provinciarum partes, quæ militibus sub uno comite (Not. dignit. occ., cap. XXVII, XXIV, ed. Ott. Seeck), aut duce (cap. XXXVII), defendendæ commissæ erant, et in imperio romano ita sitæ ut barbarorum incursiones repellere possent (1).

Jam apparet cur Valesius Blabiam Blaye esse non posse contendat : cum iis de causis quas supra exposuimus Aquitaniam secundam tractus armoricani nunquam partem fuisse putet, Blabia alia in regione, nempe in Lugdunensi secunda aut tertia, ei ponenda

(1) Vid. Boecking. Not. dignit., t. II, p. 817*-818*; — cf. Dubos. Hist. de l'établ. de la Monarch. franç., p. 70.

est. Nominum cuidam similitudini innixus, Blabiam ad ostia Blaveti fluminis, eo loco fuisse opinatur, quo nunc Port-Louis, juxta Lorient (Morbihan), surgit.

Desjardins secutus d'Anville qui in hoc Valesio assentitur, contendit æstuarium fluminis Blaveti *aquam Blavez* in charta Alani vice-comitis de Rohan de monasterio *de Bona-Requie* (Bon-Repos) ædificando, anno 1124 scripta, fuisse appellatum. Verum id nequaquam ex ea charta erui potest. Hæc sunt enim chartæ verba : « Habet itaque eadem abbatia sex villas terre (sic), sicut isti dividunt termini a prato juxta Ecclesiam sancti *Junani* (Saint-Aignan ?) ascendendo usque ad crucem Troguenandi et ab inde usque ad aquam quæ dicitur Blavez... Dedi etiam præfectis monatis aquam Blavez et utrumque navigium per totum dominicum meum a *Gouaret (Gouarec)* usque ad Troguenantum (1). » Monasterium de Bona-Requie super sinistram Blaveti ripam, juxta *Gouarec* (Côtes-du-Nord) situm est, et tota illa aquæ, id est, fluminis Blaveti pars quæ ab Alano conceditur, vicinos *Gouarec* agros percurrit ; de ostiis Blaveti igitur et Port-Louis hac in charta non agitur.

Nomen *Blavet,* vicum hodie Port-Louis appellatum designans, primum anno 1486, secundum Rosenzweig (Dictionnaire topographique du département du Morbihan. Paris, 1870) apparet. At, etiamsi admittatur Port-Louis antiquitus Blavetum aut Blavedum fuisse appellatum, nihil inde contra nostram thesim colligi possit. Satis quidem sit Notitiam dignitatum proferre dicentem tractum armoricanum per provincias quinque

(1) Dom Morice. Mémoires pour servir de preuves à l'histoire de Bretagne. Paris, 1742, 3 vol., t. I, p. 696.

fuisse extensum. Si Blabiam Port-Louis esse arbitraris, sequitur per duas provincias, aquitanicam primam et secundam, nullam fuisse militarem stationem. Quod ut per se difficillime admitti potest, ita multis scriptorum locis falsum apertissime declaratur. Blaye enim, cujus nomen perfectissime Blabiam nomen refert, militarem fuisse stationem docet nos Ausonius (1) :

Qua glarea trita viarum
Fert militarem ad Blabiam.

In Itinere Antonini, a Burdigala Augustodunum castrum Blautum (Blavium) inter Burdigalam et Tamnum ponitur (2). Idem dicit Tabula Peutingeriana (3). Apud Gregorium Turonensem (4), in Fredegarii chronico continuato, in annalibus mettensibus (5), citatur castrum Blavia juxta Burdigalam (6). De Blaveto (Port-Louis) contra ullam mentionem usque ad medium ævum frustra quæras. Adde quod, si Blabiam in exiguo tractu a Blaveto ad Ligerim ponis, duas aut tres habes stationes militares, Venetos, Mannatias (Namnetes) (7), Bla-

(1) Ausonii Epistol. X, 15.

(2) Antonini Itinerarium, ed. Wesseling. Amstelædami, 1735, p. 458.

(3) Tabula Peutingeriana Segm. I. A. I., ed. Desjardins. Paris, 1869-1874, in-fol.

(4) Gregorii Turon. De Gloria confessor., cap. XLVI (Société de l'histoire de France. Paris, 1836, 2 vol., t. II).

(5) Fredegarii scholastici chronic. continuat., pars II, c. CIX, ap. dom Bouquet. Recueil des histor., t. II, p. 458.

(6) Annales mettenses ad. ann. 735, ap. Pertz, Monum. germ., hist. script., I, p. 325.

(7) Desjardins. (Géogr. de la Gaule, t. I, p. 320.) Mannatias juxta Coz-Gueaudet (veterem civitatem) in pago Trecorensi (Tréguier, Côtes-du-Nord) sitas fuisse arbitratur.

biam. Quatuor etiam stationes hoc in litore, exiguo spatio distantes, apparent, si cum Valesio, d'Anville, Desjardins, Grannonum nostram esse Guerrandiam (Guérande) credimus. At, cum Boecking et Otto Seeck Grannonam et Grannonum (Port-en-Bessin?) unum eumdemque esse locum et procul a Guerrandia stationem hanc fuisse sitam arbitramur. Diversam lectionem Grannona, Grannono, scribæ attribuendam esse censemus, quod non mirabitur, ut ait Boecking, qui vel minimum Notitiæ codicum manuscriptorum gnarus erit.

Quod si objicis *Grannonam* primum in enumeratione numerorum militarium, *Grannonum* extremum poni, sæpe id in Notitia factum esse responderi potest. Mos in ea est unam primum numerorum militarium speciem, deinde aliam totam percensere, ex.: cap. XXXII (Notit. dignit. occid.).

Cuneus equitum Cornaci.

Cuneus equitum Dalmatarum Teutiburgio.

Equites promoti Teutibarcio.

Equites Dalmatæ Cornaco.

Præfectus legionis sextæ Herculeæ Teutiburgio.

Cap. XXXV :

Equites Stablesiani seniores Augustanis.

Equites Stablesiani juniores Ponte Aoni.

Equites Stablesiani juniores *Submuntorio*.

Præfectus legionis tertiæ italicæ partis superioris, castra regina, nunc Vallato.

Præfectus legionis tertiæ italicæ partis superioris deputatæ ripæ primæ *Submuntorio*.

Vide alia ejus modi exempla cap. XXXIII, XXXIV.

Maximi momenti, apud multos, etiam nostra ætate, scriptores, fuit ad credendum Grannonam a Grannono

esse separandam, falsa inter nomen Guérande et Grannonam assimilatio. Pocard-Kerviler et cum eo Desjardins (1) putant Guerrandiam e Grannona per formam *Guergrann*, *Guen-ran* esse ortam. At nomen vetustissimum illius urbis est *Wenran* (anno 857) (2), id est, britannice, *alba pars*, quod nomen quinto sæculo *Vindoranna* fuisset. *Vindoranna* nono sæculo Wenran fit, decimo Guenran et postea *Guerran* et *Guerrand*.

Alia etiam causa fuit cur scriptores quidam Grannonam ad urbem Guérande transferrent. Sioc'han de Kersabiec (3) quem sequuntur Pocard-Kerviler et Desjardins (4), animadvertens de Saxonibus non procul a Ligeri sitis apud Fortunatum (lib. III, carm. IX), Gregorium Turonensem (Hist. Franc., II, 18, 19) mentionem fieri, satis causæ esse putavit ut litus saxonicum ad ostia Ligeris poneret. At, inde sequeretur litus illud saxonicum ab hodierna Flandria usque ad ostia Ligeris pertinuisse. *Marci* enim (Merk ?) in litore saxonico sub duce Belgicæ secundæ erant (5). Jam nihil causæ erat cur totum illud litus non diceretur saxonicum, et Grannonam unam inter armoricani tractus stationes, Marcos tantum inter stationes Belgicæ secundæ, Notitia in litore saxonico poneret. Addendum est Saxones, de quibus loquuntur Fortunatus et Gregorius Turonensis, illorum sane Taifalorum partem

(1) Desjardins. Géographie de la Gaule, I, p. 293.

(2) Chartul. Rotonense *uuenran*, p. 21, 65, 72, etc.

(3) Sioc'han de Kersabiec-Corbilon. Nantes, 1868, in-8°, p. 132.

(4) Desjardins. Géogr. de la Gaule, t. I, p. 295-296.

(5) Not. dignit. occ., cap. XXXVIII : Equites Dalmatæ Marcis in litore saxonico.

esse, qui suum nomen pago Theofalgico (Tiffauges) reliquerunt, sinistram autem Ligeris ripam et quasdam forte fluminis illius insulas eos incoluisse. Quod autem multi incolæ regionis namnetensis non procul a Guérande germanica nomina nono et decimo sæculo tulerint, nihil inde argumenti erui potest, quanquam id maximi momenti esse crediderunt Kersabiec et Desjardins. Si percurras Rotonense Chartularium, animadvertas *omnes fere pagi Namnetensis et pagi Redonensis nono et decimo sæculo* incolas quibus britannica non sint nomina, germanica nomina ferre. Ceterum mos ille in omnibus Galliæ partibus quas Franci subegerant tunc vigebat (1).

Quidquid autem de Grannona, Grannono, Mannatias, sentiendum est, nihil inde contra indicatos a nobis supra tractus armoricani fines concludi potest.

Illa autem Aremoricæ extensio, in laterculis imperatorum nata, statim prævaluisse non videtur, si hos Sidonii Apollinaris versus recte intellegimus :

Litorius scythicos equites, tum forte subacto
Celsus aremorico, Geticum rapiebat in agmen
Per terras, Arverne, tuas (2).

Videtur Sidonius ab aremorica Arvernorum civitatem distinguere, quæ tamen Aquitaniæ primæ pars erat ; Aquitaniam autem primam, ut supra vidimus, Notitia dignitatum in tractu armoricano ponit.

Brevi autem illam imperatoriam et militarem tractus armoricani significationem invaluisse et in ore vulgi

(1) Guérard. Polyptique d'Irminon. Paris, 1844, 2 vol., t. II, passim.

(2) Sidon. Apoll., VII, v. 247.

usitatissimam fuisse certum est. Legimus enim apud Idatium (1), Fritericum in armoricana provincia cum suis superatum et occisum esse. Hoc autem prœlium juxta Aurelianos civitatem (2) commissum est, quæ in Senonia sita erat. Epistola synodi Venetensis, habitæ circa annum CCCCLXV, ad episcopos absentes in codicibus quibusdam inscribitur : Epistola episcoporum armoricanæ provinciæ (3). Confer hunc vitæ sancti Eligii locum (4). « Igitur Eligius Lemovica Galliarum urbe, in villa Catalacense oriundus fuit, itaque præfata civitas sita in armoricanis in ulteriore Gallia primaque Aquitanica quæ ad plagam respicit occidentalem. » Sanctus Bassolus quoque a territorio Lemovicano, *regione armoricana*, ab Aquitania ad Remos venisse dicitur (5).

Concludimus ergo a Cæsaris ætate usque ad finem quinti sæculi non semper eamdem fuisse vocis *aremoricæ* significationem : in commentariis de bello gallico aremorici dicuntur populi tantum in litore Oceani a Ligeris ostiis usque ad orientales Caletum fines siti ; hos fines Aremoricæ Galli usque ad quintum sæculum attribuisse videntur ; de tractu belgicæ et armoricæ, de quo loquitur Eutropius, nihil scimus, sed probabile est eum ad ostia Rheni pertinuisse ; quinto sæculo

(1) Idatii chronic. ap. dom Bouquet, Recueil des historiens de la Gaule, t. I, p. 662 E.

(2) Marii aventicensis chronic. ; ibid., t. II, p. 13.

(3) Labbæi sacrosancta concilia, t. IV, p. 1053.

(4) Vit. Eligii auctore Audœno ap. Vales. Not. Gall., p. 269 ; cf. locum vitæ Patricii supra p. 21 citatum.

(5) Ap. Vales. Notit. Gall., p. 269.

imperatores tractum armoricanum et nervicanum constituunt quinque provincias amplectentem ; tractus armoricanus a Garumna ad Sequanam, Nervicanus a Sequana ad Samaram extensus fuisse videtur.

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

A. d. XIV Kal. jan. ann. MDCCCLXXXIII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX

FONTIUM ET PRÆCIPUORUM LIBRORUM CITATORUM.

C. Julii Cæsaris commentarii de bello gallico, lib. II, c. 34; III, c. 9, 11, 16, 17, 29; V, c. 53; VI, 13; VII, c. 75; VIII, c. 31, 46; éd. Nipperdey. Lipsiæ, 1847, in-8o; éd. Dübner. Paris, 1867, 2 vol.; éd. Kraner. Berlin, 1863.

Strabon. Geograph., lib. IV, c. 4; éd. Müller. Didot, 1853.

Plinii Secundi historiarum mundi, lib. IV, c. 17, 31; éd. Sillig. Hamburgi, 1851, t. I.

Ptolemæi Geograph., lib. II, c. 4, 7, 10; éd. Wilberg. Essendiæ, 1838.

Ausonii Epistol., IX, 35; X, 15; Professor., X, 24; éd. Jacob Tollius. Amstelodami, 1671.

Eutropii Breviarium, lib. IX, c. 21; éd. Dietsch. Lipsiæ, 1875.

Sidonii Apollinaris Carman VII, v. 247, 369, 548; éd. Sirmond (opera Jacob Sirmundi. Parisiis, 1614, t. I).

Rutilii Numatiani Itinerarium, lib. I, v. 213; édit. Collombet. Paris, 1842.

Zosimi historiæ, lib. VI, c. 5; éd. Reitemeier. Lipsiæ, 1784.

Orosii historiar., lib. VII, c. 11; éd. Havercamp. Lugduni Batav., 1738.

Venantii Fortunat. Carm., lib. III, c. 8, v. 3; éd. Luchi. Romæ, 1786.

Notitia dignitatum imperii; éd. Otto Seeck. Berolini, 1876; éd. Boecking. Bonnæ, 1839-1853.

Notitia Galliarum (vid. Notitia dignitat.; éd. Otto Seeck, p. 261 et seq.).

Procop. De bello gothico, lib. I, c. 12 (Corpus scriptorum historiæ byzantinæ. Romæ, 1833, t. II, p. 63).

Idatii chronic. ap. dom Bouquet. Recueil des historiens de la Gaule, t. I, p. 662 E.

Marii aventicensis chronic.; ibid., t. II, p. 13.

Vita Eligii, auctore Audœno ap. Valesium. Notitia Gall., p. 269.

Labbæi sacrosancta concilia., t. IV, p. 1053.

Vita Vedasti. (Biblioth. nation., ms. lat. 12598, fol. 28-32 (VIII sæc.).

Zeuss. — Grammatica celtica; edit. secunda. Berolini, 1871 (passim).

Glück. — Die bei Julius Cæsar vorkommenden celtischen namen. München, 1857, p. 31-36.

Diefenbach. — Origines Europææ. Francfurt-am-Main, 1861, p. 231.

Hadriani Valesii Notitia Galliarum. Parisiis, 1675, in-f°, p. 43, 44, 89, 269.

D'Anville. — La Notice de l'ancienne Gaule, tirée des monuments romains. Paris, 1760, in-4°, p. 102-103; 164-166; 407-408; 433; 486-487. — Cf. Géographie ancienne. Paris, 1769, p. 22.

Dubos. — Histoire critique de l'établissement de la monarchie française dans les Gaules, 3 vol. Paris, 1742, t. I, p. 70, 71, 74.

Ukert. — Geographie der Griechen und Roemer, 3 vol. in-8°. Weimar, 1816-1846, vol. II, pars secunda, p. 332.

Walckenaer. — Géographie ancienne historique et comparée des Gaules cisalpine et transalpine, 3 vol. in-8°. Paris, 1839, t. I, p. 367 et suiv.

Desjardins. — Géographie historique et administrative de la Gaule romaine. Paris, 1876, 2 vol. in-8°, t. I, p. 305 et suiv. ; t. II, p. 488 et suiv.

Deloche. — Les Lémovices de l'Armorique (Mémoires de la Société des Antiquaires de France, t. III, 3e série).

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

Excudebant Baraise et C^ie, in foro Sancti Michaelis, 7.